

BARTHOLO-

mæi Pitisci Grunbergensis

TRIGONOMETRIÆ

LIBER QUINTUS.

*De compendijs & varietatibus calculi
Trigonometrici.*

Superioribus quatuor libris necessaria Trigonometriæ præcepta persecuti sumus. Quinto hoc, & postremo libro, de compendijs & varietatibus calculi Trigonometrici quædam trademus: quæ, et si necessaria non sunt: usum tamen habent in Trigonometria perjucundum.

*Compendia calculi Trigonometrici præcipua
sex sunt.*

C O M P E N D I U M P R I M U M.

In regula proportionum: in qua semper debent esse tres termini dati:

Si primo loco sit radius, secundo & tertio sinus, & multiplicationem & divisionem evitare.

R E G U L A. Pro duobus præter radium datis sinibus: sume arcuum sinibus istis respondentium complementa: & habebis triangulum sphæricum rectangulum, quarto Triangulorum sphæricorum axiomati accommodatum: atque adeo per solam prosthaphæresin solubile.

Exempli gratia: si detur talis propositio: Ut radius AE, ad sinum EF: ita sinus AB, ad sinum BC.

Pro